



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Daniele Martyre Patavii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

EX VARIIS
AUCT.

*Theca pre-
tiosa inclu-
duntur 20
April. 1175.*

sed olim in Flandrias translatum fuisse, ipsi intima-
tum est. Quod audiens cum gaudio repatriavit, et in
ipsa nocte festivitatis B. Jacobi Atrebatum veniens,
nos super his certiores et alacriores reddidit.

15 Non negligens itaque Venerabilis Abbas, ad
honorem Dei, qui tanto thesauro ejus honoravit
tempora, largâ manu et liberalibus expensis vas insig-
ne jussit fabricari, in quod non multo post reliquias
illas Dominus Petrus tituli S. Chrysogoni Presbyter
Cardinalis, qui illo tempore a latere Domini Papæ
Alexandri in Gallias destinatus, in regno Francorum
Apostolica legatione fungebatur, præsentem et inspi-
cientem innumerabili populorum multitudine, adstante

etiam Frumoldo Atrebatensi Episcopo, qui illic ab
Abbate vocatus aderat, xii Kal. Maii in Octavis Pas-
schæ solemniter et devote reposuit, et data omnibus
benedictione et peccatorum indulgentia, eas in eccle-
sia S. Vedasti perpetuo honorandas Apostolica au-
thoritate firmavit. Ubi usque in hodiernum diem multi
potenti fide et alacri devotione beati Apostoli me-
moriâ adeunt, et ipsius meritis per sancti Spiritus
gratiam peccatorum remissionem accipiunt: præ-
stante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et
eodem Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæ-
cula sæculorum. Amen.

DE S. DANIELE MARTYRE PATAVII.

III JAN.

Martyrologium Romanum et Molanus in *Addit. ad
Uward*, Patavii S. Danielis Martyris: *estque hæc
Inventionis dies, ut in Notis docet Baronius ex tabulis
Ecclesiæ Pataviæ. Ejusdem meminere Maurolycus,
Martyrologium Germanicum, Uwardi editio Colonien-
anni 1521.*

*S. Danielis
martyrium, et
inventio.*

2 *Galesinius*: Patavii, S. Danielis Levitæ et Mar-
tyris Inventio. Is enim S. Prodocimi Episcopi Dia-
conus, cum Christianam fidem constantissime palam
prædicaret, ab urbis Præfecto comprehensus, inter
lapideam et ligneam tabulam clavis confossus, mar-
tyrio coronatur. Illius corpus diu occultum, Ulderichi
ejusdem urbis Episcopi precibus, admirabiliter multis
post illius martyrium annis, hoc ipso die inventum
est, summa Cleri et populi celebritate. *Eadem fere
habet Ghinius.*

*Uldericus Epi-
scopus Pata-
vin.*

3 *Uldericus ille, anno MXXIV, creatus Patavinus Epi-
scopus memoratur. Historiam Inventionis S. Danielis
damus ex Agonibus Martyrum: aliamque mortis atque
inventionis ex Bernardino Scardeonio, cujus compen-
dium extat apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Ita-
liæ. Episcoporum Patavinorum extat apud Claudium
Robertum catalogus: nullum tamen Joannem exhibet,
qui circa annum DCLXVII vixerit. Agit de S. Daniele
et Petrus de Natalibus lib. 2, cap. 40.*

INVENTIO S. DANIELIS

ex Agonibus Martyrum excusis.

*S. Daniel Pa-
tavii passus.*

Daniel Levita martyrium passus est in urbe Pata-
vina: verum quo tempore, et a quibus ignotum est.
Sic tamen passio ejus martyriique modus cognitus
est. Nam ipse se revelans cuidam oculis capto in
Tuscia dixit illi: Si vis videndi gratiam obtinere,
vade, pete Patavium, et Danielis Martyris implora
opem, ad memoriâ sepulturæ ejus: ubi et invoca
Domini nostri Jesu Christi misericordiam, et ipse te
illuminabit. Quo audito, cæcus procuravit se in ur-
bem Patavinam deduci. Erat enim annus Domini
septingentesimus sexagesimus septimus. Quo in tem-
pore et urbs illa et in ea multa loca sancta variis
tumultibus et incuris Barbarorum vastata fuerant.

*Patavium a
Barbaris va-
statum.*

5 Veniens itaque cæcus, per omnia templa, orato-
ria, et etiam ruinas locorum sanctorum, diligenter
inquirat, ubinam corpus beati Martyris Christi Da-
nielis requiesceret. At nullus inventus est qui illi
quidquam indicare posset. Unde ipse effectus admo-
dum tristis, se illud putabat: orabat tamen Do-
minum per omnia devotionis loca, ut ejus misericordia

sibi subveniret, et si usquam in ea urbe Daniel Mar-
tyr ejus quiesceret, preces ejus exaudiret, ut ipse
visum reciperet.

*Iterum cæco
apparet Du-
niel.*

6 Cum igitur id per dies complures faceret, et se-
mel orandi causa, sacra divæ Virginis et Martyris
Justinæ subisset aedes, quo in loco Daniel Martyr
conditus fuerat, (id quod tunc omnibus incolis igno-
tum erat) se illi Martyr iterum revelavit, dicens: Hic
ora, nam hic jacet Danielis Martyris corpus, quem
ut visum recipias requirere jussus es. Oravit ergo
eo in loco cæcus; et visum recepit.

*Cæcus visum
recipit.*

7 Quo facto, ipse et sui duces gratias magnifice
Christo et Martyri agentes, adeunt illico Joannem
Episcopum, sanctum virum, qui illo in tempore loco
præerat, et indicant omnia, quæ beneficio Martyris
fecerat Christus cæco, qui illic ex Tuscia advenerat,
et quomodo ad memoriâ Danielis Martyris orans,
visum receperat. Convocato itaque Clero, sociatus
Episcopus, secum ducens cæcum, sed jam gratia
Christi videntem, tendit in sacræ virginis Justinæ
templum. Cui ingresso ostendit is qui fuerat cæcus
orationis locum, ubi et beneficium visus receperat.
Jussit ergo Episcopus circumfodi terram, et aperiri
locum, et invenit instar sepulcri tabulatum lapideum,
longis clavis in summo eminentibus per intima con-
fixum; quod levare jussit: ubi autem levatum est,
vidit in imo aliud tabulatum, quod acies illorum im-
manium clavorum penetrabant, et juxta breve quod-
dam scriptum: HIC CORPUS DANIELIS LEVITÆ, PRO CON-
FESSIOE NOMINIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SIC PASSI,
REQUIESCIT. Jussit ergo venerabilis Pontifex tabulata
aperiri; et reperit corpus Martyris per medullium
capitis, per cerebrum, per pectoris medium, per pec-
tinem, et per cetera corporis membra horribilibus
illis clavis transfixum; sanguinemque adeo recentem,
ac si modo illum glorioso martyrio in odorem suavi-
tatis fudisset. Neque teter cadaveris odor offende-
bat assistentium præsentiam, quia Dominus martyrem
suum a corruptione præservaverat. Ex quo intellexe-
runt Pontifex et viri sancti ac religiosi qui assiste-
bant, martyrii Danielis pro nomine Jesu Salvatoris
passi modum.

*Reperitur
corpus S. Da-
nielis.*

8 Levatum igitur corpus, et pretiosis velaminibus
adornatum, Episcopus, sancti viri, universus Clerus,
et populus innumerus cum canticis et hymnis intule-
runt in majorem ecclesiam sub nomine Dei genitricis
Mariæ fundatam anno, qui dictus est, septingen-
tesimo sexagesimo septimo. Ubi Christus inter-
ventu sui Martyris virtutes fecit et signa; cui eum
Patre et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula.
Amen.

*Defertur cor-
pus ad tem-
plum B. Vir-
ginis.*

DE

DE EODEM S. DANIELE
EX BERNARDINO SCARDEONIO.

S. Danielis patria. genus, martyrium anno 168.

Circa annum 1064 caeco cuidam appareret.

Corpus reperitur. caecus visum recipit.

Daniel Martyr B. Prosdocimi Episcopi Levita, Patavii, licet Hebraea natus familia, cum constantissime Christianam fidem populum palam publiceque doceret, ab urbis Praefecto comprehensus, inter lapideam et ligneam tabulas clavis ferreis confossus, hoc genere martyrii, inter caelestes reliquos meruit habere triumphum, anno salutis CLXVIII.

10 Hujus autem corpus aliquamdiu fuit hominibus ignotum. Sed cum Ulderichus Episcopus Patavinus piis orationibus instaret, ut omnipotens Deus gregem suum et universum populum Patavinum in vera Christi fide, et Catholica religione constantius roboraret, quod intervenientibus Sanctorum precibus facile consequi posse sperabat; accidit anno salutis MLXIV, ut caeco cuidam in Hethruria per quietem juvenis quidam Levitico habitu indutus appareret, visum sibi pro mercede promittens, si Patavium pergat et in basilica D. Justinæ corpus B. Danielis Martyris investiget, humi, haud procul ab ara D. Prosdocimi conditum. Is ergo tanta mercede allectus, et de pollicitis nihil diffidens, Patavium statim contendit, et monasterium D. Justinæ ingreditur, remque omnem monachis exponit; rogatque ut per eos sibi liceat ea nocte in templo in orationibus pernoctare.

11 Ammentibus illis, noctu inter orandum per visum ostensus est ei locus, ubi quaesitus thesaurus defossus latebat. Quare mox ubi illuxit, Episcopus accersitur, et populus convocatur, caecus locum assignat, et fossoribus praest. Quid multis? humo nondum penitus effossa, parvo labore repertum ac cognitum est, quod homines diu ante latuerat. Ibi namque Martyris corpus constrictum inter duas tabulas; ligneam et marmoream, suavissime, et ultra quam cogitari possit mirifice redolens invenitur. Quo facto extemplo caeco visus redditur: et omnium ordinum homines, qui tunc forte aderant, miro stupore replentur, laudantes, et benedicentes Deum. Interim

vero tantæ et tam novæ rei fama per totam civitatem diffusa, undique confluitur, et innumera miracula fiunt, et ita hinc precibus, hinc lacrymis, hinc gaudio tota civitas agitur. Locus autem subterraneus in hunc diem integer est, in quo venerabile illud corpus tam diu latuerat.

12 Episcopus autem Bernardus postea cupiens his sanctis reliquiis exonare ædem suam cathedralem, egit cum monachis, ut corpus illud eo transferendum concederent, et ne ingratus cuiquam videri posset, in præmium tam pretiosi muneris amplissima ruris lignarii prope urbem prædia Abbatiae remisit, quæ pridem ei ex paterna (ut dicitur) hereditate contingerant.

13 Interim vero non minus mirabile dictu accidit. Cum enim jam sacratissimi corporis Translatio fieret, non sine densa concurrentis undique populi multitudine, illico ubi intra moenia primum receptum est, sistunt ex onere supra modum pressi et defatigati portantes. Hinc nec vis ulla, nec artes quantumvis ingeniosissimæ reliquum itineris perficere valent. Quocirca Episcopus cum universo populo tali facto perterritus: nuncupatis suppliciter votis de construendo ibidem templo sub titulo S. Danielis, statim progressus, antea nescio quo modo inhibitus, facilis datur: nec ullum amplius obstitit impedimentum, quo minus in templum cathedrale corpus illud, tanto miraculo repertum, deportaretur: ubi ad hoc usque tempus feliciter quiescit.

14 Celebratur autem hujus Inventio III Nonas Januarii: Translatio vero facta ad novam Capellam MCCCXCV, fit tertia Dominica Maii. Jacet nunc in arca marmorea, ubi informibus notis insculptum est hoc epitaphium:

HIC REQUIESCIT MARTYR DANIEL LEVITA.

15 Hactenus Scardeonius lib. 2, class. 6, qui ejusdem Sancti meminit lib. 2, class. 5, cap. 1. Capite vero 32, testatur extra moenia Patavina collem amœnum existere S. Danielis, in eoque egregium monasterium exædificatum Canoniorum Regularium.

EX VARIIS
AUCT.

Visitur adhuc
locus.

Transfertur
corpus ad
ædem cathedralem.

Templi ædificandi votum.

Inventio 3
Januar.
Translatio 3
Dominica
Maii.

Collis S. Danielis.
NOT. 02.

